

427

425

431

421

436

416

476

376

526

326

Ende

Anfang

416

nec aliquis navem bellicam pro se et propriam habet, nisi fuerit  
sibi de hoc archanali ex armamentario S. Marci concessa.

Multa mira vidimus in hoc archanali instrumenta nova et ve-  
tera, quibus civitates et regna superaverunt, nam vexatio proeliorum  
frequens et gravis ipsis Venetis intellectum dedit ad ingenia  
bellica excogitanda. Non enim semper victores extiterunt,  
sed plures prostrati et angustiati fuerunt, tam ab infidelibus  
quam a fidelibus. Nam anno Domini 1367 Genuenses adeo eos  
arctaverunt, ut chartam et atramentum eis mitterent, accep-  
turi leges, quas Genuenses imposuissent, ut pacem et dextras  
darent. Sed pacem Genuensibus (216 a) habere nolentibus re-  
currerunt Veneti ad arma et ingenti plaga a se repulerunt elatos  
Genuenses, et quos in gratiam recipere noluerunt, jam eorum  
gratiam precabantur.

De multis legimus Venetorum bellis et triumphis; semper  
enim habuit et hodie habet inimicos plures, tam occultos quam  
manifestos, cuius causam assignat Socrates, dicens: felicitas semper  
subjecta est invidiae; sola enim miseria caret invidia. Et quia  
Veneti summa status civilis potentia felicissimi sunt, ideo omnibus  
invidis odiosi. De Venetorum bellis, triumphis et diversis suc-  
cessibus luculenter et copiose disserit M. Antonius Sabellicus per  
multos libros rerum Venetorum ab urbe condita.

### Ecclesiarum maxima multitudo.

Quintum commendabile civitatis Venetianaee est multitudo ec-  
clesiarum et divini cultus grandis celebratio. Ex quo enim Veneti  
divites sunt, ideo divina sunt multiplicata, quia Aristoteles Ethicorum.. dicit, quod una bona et commendabilis conditio divitum  
est, quod bene se habent ad divina. Ideo sicut in divitiis in im-  
mensum creverunt, sic quodammodo in immensum divinum cultum  
augmentaverunt. Stupendum profecto est videre multitudinem ec-  
clesiarum collegiarum, parochialium, monasteriorum et capel-  
larum. Non credo, quod in tota Christianitate in aliqua una civi-  
tate sint tot ecclesiae sicut Venetiis. Anno Domini 554, cum  
Tohilam Gothorum regem in Italia tyrannisantem Narses, eunuchus  
Justiniani imperatoris auxilio nobilium Venetorum prostrasset, in

